



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. IV. De Gennadio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

za; illi impulsu gratiæ ad salutem trahuntur, isti voluntariè & sponte currunt; & nunc his, quæ illis Scripturarum testimonia applicent, quæ vel libertatem hominis asserunt, & vel Dei gratiam commendant. Deinde eò usque Pelagianus est, ut non sola bonarum voluntatum initia, sed etiam admirabilem Zachari, Censurionis, & Lactonius fidem, simul cum perfectissima patientia Job, naturæ virtutibus attribuat: Sed neque in hac neque in illa opinione diu persistit, ut colligi potest tum ex ipso Cassiano, tum ex Divo Prospero, & Hilario, qui vacillasse Massilienses, & subinde mutasse suas opiniones, testantur; quod nihil occurreret ubi mens vaga & egans conquiesceret. Unde Prosper libro contra Collatorem capite quarto suam ei exprobat inconstantiam, & dicit eum, definitionis suæ oblitum, eò à sententia defecisse. Quis igitur Cassiani defensionem suscipiat, quis ejus doctrinam approbet, quis fidei Catholice consonam asserat; Ne mo, opinor, nisi Pelagiano habitu infectus sit, & Gennadium imitetur, dicentem libro de viris illustribus: *Legi librum Prosperi in personam Cassiani, sub perditâ Collatoris; quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamar vociva.*

Malè ergo Henricus Cuius annot. ad cap. 12. de instit. nonnulli ubi Cassianus ait, *nostrum esse bonæ voluntatis occasionem Deo præbere, ut sua munera largiatur*, excusat eum, quasi loquatur de hominibus jam fidelibus, qui fide & auxilio gratiæ adjuvati, Deo exhibent occasionem ulteriorum donorum. Nam contrarium patet ex contextu capitis secundi & sequentium.

Non valet etiam quoddam Author annot. ad cap. 8. Collationis 13. ait, nempe in eo quod dem capite hæreticam doctrinam contineri; at eam à Cassiano non doceri, sed solum ex Charemonie Abbate referri. Non valet, inquam, nam repugnat D. Prosper contra Collatorem cap. 2. ubi ait: *Cassianum induxisse quemdam sacerdotalem ordinis abbatem, de gratia Dei & libero arbitrio dissentientem, cuius se ostendit per omnia probasse ac suscepisse sententiam.*

Item non rectè Petrus Ciaconius annos. ad eandem Collationem 13. Cassianum ab errore purgat, dicendo eum non loqui de dispositione proxima ad gratiam, sed tantum de remota, dum docet hominem ex virtutibus naturæ posse se disponere ad gratiam. Nam præterquam quod erroneum & Semipelagianum est, liberi arbitrii virtutibus tribuere dispositionem remotam ad gratiam, ex contextu Cassiani liquet, eum sibi arbitrii virtutibus adscribere proximam ad gratiam dispositionem.

Advertendum tamen est, quod licet Cassianus in materia de gratia & libero arbitrio erraverit, non fuit tamen hæreticus: quia doctrina Semipelagianorum nondum erat ab Ecclesia damnata, ut in fine libri contra Collatorem monet D. Prosper. De quo videri possunt Baronius ad annum 430. num. 27. & Ado Viennensis in Chronico anno 425.

§. III.

De Fausto Regensi.

Faustus ex Abbate Monasterii Lirinensis Regii, quæ Galliarum urbs est, Episcopus factus, floruit ad annum 480. medio tempore inter Prosperi & Fulgentii, ille Pelagianum damnare,

ejusque errores refellere videri volens, revera Pelagio favisse, & Catholicam Augustini de gratia & prædestinatione sententiam refutasse compertus est. Scriptis enim omnium Semipelagianorum astutissimus duos libros de gratia & libero arbitrio, qui licet è ipse spectare videantur, ut simul cum gratia humanum laborem ad operantiam salutem desiderari ostendatur, hoc ipsum tamen ita demonstrat, ut efficacia gratiæ, & prædestinationis gratuita, omnino evitentur, hæresisque Pelagiana, detractâ larvâ, prodeat in medium.

Ejus astutias sustulit in Africa sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, septem libris, de quibus Isidorus libro de viris illustribus capite decimo quarto ait: *Legimus de gratia Dei & libero arbitrio Fulgentii libros septem, Fausto Gallia Regensi urbis Episcopo, Pelagianæ pravitati consentienti, respondens, binitur ejus profundam destruere calliditatem.*

Contra eundem Faustum disertissime scripsit Avitus Viennensis Episcopus, cujus meminit ejusdem Ecclesiæ Episcopus Ado, in Chronico, anno Domini quadringentesimo nonagesimo secundo, cum de Fausto agit, his verbis: *Faustus ex Abbate Lirinensis Monasterii, apud Regium Galliarum Episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur; unde qui ejus sensus in hac parte catholice prædicant (sicut Gennadius de illustribus viris scribens) omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus quam ceteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit: Faustus vero ista liberum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus, & salus, non à Christo sed à natura sit. Contra hunc scribit lucidissima fide Avitus Viennensis Episcopus, ejus redarguens errorem, similiter & Ioannes vir & auditus, Antiochenus Presbyter.*

Similiter etiam Petrus Diaconus libro de incarnatione & gratia, qui extat inter opera Fulgentii capite ultimo, anathematizat libros Fausti Galliarum Episcopi, quia humano labori subiungit gratiæ adiutorium. Præ aliis verò Joannes Maxentius Scythiæ monachus, qui vixit ad annum 520. tempore sancti Hormisdæ Papæ, & cujus opera extant tomo quarto Bibliothecæ Patrum, Fausti libros de gratia solvit, in responsione ad Epistolam dicti Hormisdæ ad Possessorem Africanum Episcopum: De quo Baronius anno 520. numero 22. Unde prudens & notari digna est hujus pissimi & doctissimi Cardinalis ad notitiam, tomo sexto anno Domini 490. ubi sic ait: *Cum igitur Fausti sententia ubique ab Ecclesia Catholica fuerit contradictum, videam quanto periculo quidam ex Recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, à sancti Augustini sententia de prædestinatione recedunt, cum alioqui arma non desint, quibus hæretici prostigantur.*

§. IV.

De Gennadio.

Gennadius Massiliensis Presbyter, qui vixit tempore Gelasii Papæ ad annum 490. Semipelagianis adhæsit, & de ipsorum secta fuisse creditur: siquidem libro de viris illustribus Cassianum & Faustum laudat, eorumque de gratia sententiam, Prosperi doctrinam anteponit, Rufinum Aquileiensem Presbyterum, Pelagii Præcursores, ac Pelagianæ hæresis Architectum (quo

(à quo, ut supra vidimus, se audivisse non tradidit) peccatum originale, affirmavit Celestius) Hieronymo præfuit: ideoque Gelasius Papa opera ejus inter Apocryphos libros rejecit. Hinc Baronius anno 431. num. 28. Gennadium ait ejusdem esse facinoræ cum Cassiano; & anno 490. num. 45. fuisse unum præbyteris Gallicanis, de quibus Prosper & Hilarius apud Augustini doctrinæ adversi conquesti sunt, quod Augustini doctrinæ adversi lætarentur; sed addidit ipsum Gelasii operâ rescriptum, & ad Episcopatum Massiliensem assumptum fuisse, & orthodoxum ac Catholicum esse vivis abuisse.

§. V.

De Severo Sulpitio.

Plures etiam existimant, Severum Sulpitium, S. Martini, cujus vitam scripsit, Discipulum, ac S. Paulino, Nolano Episcopo, amicitia conjunctissimum, Massiliensis erroris fermento vitiatum fuisse; quia Gennadius libro de viris illustribus cap. 19. hæc scribit: Severus Presbyter, cognomento Sulpitius, vir genere & literis nobilis, & paupertatis, ac humilitatis amore conspicuus; & in fine, post enumeratas ejus lucubrationes, ista subdit: Hic in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit; ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. Subscribit Baronius anno 431. num. 189. Gennadiumque sic interpretatur, ut velit Severum, non omnibus Pelagii placitis adhæsisse, sed instanti quæ Massilienses recipiebant. At refragatur Guibertus Abbas, in compendio Apologiz pro Severo, ubi ait: Nunquam nisi in Gennadii dialogi Severum à Pelagianis seductum, qui nescio utrum hoc ipse alibi legerit, an ex sola fama, quæ facili infusaque docet, didicerit. Ut sit, constat Severum Orthodoxum, & Catholicum obisse: nam in Martyrologio Romano die 29. Januarii in Sanctorum canonem refertur, & virtutibus ac eruditione conspicuus dicitur.

Hanc aliqui dicunt fuisse Episcopum Bituricensis, quia Guibertus citatus, qui pro eo Apologiam scripsit, ipsum Archiepiscopum Bituricensem appellat. Sed hoc alii negant, cum Baronio citato, ubi sic ait: Neminem reperi antiquorum, qui hunc Severum de quo est sermo, Episcopum nominet, immo tantummodo Presbyterum, sicut & Honorius recensens Catalogum clarorum virorum. Et sanè Gennadius Massiliensis, sui temporis res gestas scribens libro supra citato, non nisi Presbyterum eum nominat, & in eo ordine prænitentem esse de fundum ait.

§. VI.

De Joanne Chrysostomo.

Videtur i. p. disp. 91. cap. 8. omnes ingenii vires intendit, ut ostendat Chrysostomum & alios ex Patribus Græcis, in errorem SemiPelagianorum esse lapsos, atque Cassianum Chrysostomi discipulum, errorem supra relatum, quem habet collat. 13. à suo magistro didicisse allerit. Et capite sequenti plures affert Theologorum interpretationes, quibus Chrysostomi testimonia, quæ SemiPelagianis favere videntur, conantur exponere, & in Catholicum sensum pertrahere, quas omnes parvi pendet, & totis viribus conatur evertere.

Sed ab hoc errore, seu potius calumnia, rectè Chrysostomum vindicat noster Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ annotat. 101. ubi ait Joannem Oecolampadium, Lutherana hæresis professorem, hunc errorem ei primo imposuisse; pluraque adducit hujus sancti Doctoris testimonia, quibus aperte gratiam prævenientem admittit, ac docet nostræ fidei & salutis exordia à gratia, non verò à nuda natura procedere. Istud, quod habet tomo 1. homil. de Adam & Eva, celebre est: Omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum proficimur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominum merita provenire, per quam etiam sicut aliquid boni & velle incipimus & facere. Vide quæ diximus in Tractatu de prædestinatione disp. 2. art. 3. §. 6. pro defensione hujus sancti Doctoris, quem Anastasius 7. Hexam. Christiflavium: Theodoretus Dialog. 1. Magnum orbis lumen, ad rationem dignissimum Doctorem: Ilidorus Pelusiorum lib. 2. Epist. 42. Ecclesia unum omnium oculum; & demique Innocentius 1. Epist. 30. Melitam Constantinopolitanæ Ecclesiæ linguam, appellavit.

§. VII.

De Vincentio Lyrensi.

Vincentium Lyrensem Cassiani contemporanæum, & in Cænobio Lyrensis infulæ monachum, aliqui putant eum esse, cui responderet Prosper in libro ad objectiones Vincentianas; adeoque Massiliensis factionis halitu inspiratum fuisse. Sed iniqua hæc suspicio est: cum hic Vincentius in opusculo contra prophanas vocum novitates, cap. 34. vehementer arguat Pelagium, quod necessitatem gratiæ juvenis nos in singulis actibus negaverit; & capite ultimo Epistolam Cælestini Papæ adversus SemiPelagianos cum veneratione recipiat. Addo quod Gennadius hunc ei ævum non appropinquat, sed validissimum contra hæreticos Athletam fuisse memorat. Unde Baronius ad annum 431. num. 188. verè tradit, Vincentium in quem scripsit Prosper, fuisse alium ejusdem nominis.

ARTICULUS VI.

Canones secundæ Concilii Arauscani contra SemiPelagianos.

Concilium hoc à B. Cæsario Arelatensi Episcopo indictum est, cum videret Fausti & aliorum SemiPelagianorum errores in Gallia propagari, librosque Fausti avidissimè appeti, atque in illis concinnas ad persuadendum, acutioresque sententias contineri. Unde in urbe Arauscana congregatis Episcopis, ipse qui Concilio præerat dicere exortus est.

Cum ad dedicationem Basilicæ, quam illustrissimus præfectus & Patricius filius noster Liberius in Arauscana civitate fidelissimâ devotione construxit, Deo propitiante & ipso invitante convenissemus, & de rebus quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset spiritualis oborta collatio: pervenit ad nos, esse aliquos qui de gratia & libero arbitrio minus rectè & non secundum fidei Catholicæ regulam sentire velint. Unde & nos